


05 A 441

05  
A  
441



IN NOMINE JESU.  
DISSERTATIO SACRA

*De*  
**REDEMPTORE  
GENERIS HUMANI, CHRI-  
STO JESU, EJUSQUE OFFICIO, SA-  
TISFACTIONE, AC MERITO.**

*Quam,*

Christo Redemptore docente,

*In,*

Florentissima Wittebergensi Academia,

*SUB PRÆSIDIO*

VIRI

**DN. JOHANNIS SCHARFII,**

SS. Theolog Doctoris, ejusdemq; Professoris Ordina-  
rij, celeberrimiq; nec non alumnorum Elect. Ephori &c.

DN. Præceptoris, Promotoris, ac Patroni omni honoris ac  
debitæ observantiæ cultu ætatem prosequendi,

*Publico modestoq; Eruditorum submittit*

*Examini*

**M. JOHANNES TECLENBURG,**

BUTZFLEDA-Stadensis.

*In majori Theologorum Auditorio,  
Ad diem 18. Aprilis horis matutinis.*

• [+] •


**WITTEBERGÆ,**

**TYPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.**





05 A 441



DISSERTATIO SACRA  
DE  
REDEMPTORE GENE-  
RIS HUMANI, CHRISTO JESU , EJUS-  
QVE OFFICIO , SATISFACTIONE AC  
MERITO.

**S**erè graviterq; scribit S. Hierony-  
mus, eruditissimus & graviss. Pater, in E-  
pistol. ad Damasum Tom. 3. edit. Froben.  
Basil. de anno M. D. LIII. p. 117. Quicquid Trinitas  
in Veteri legimus Testamento, hoc idem in in utroq;  
Evangelio reperimus: Et quod in Evangelio fuerit lectitatum, Testamen-  
hoc ex V.T. autoritate deducitur: nihil in eis dissonum, nihil to predi-  
diversum est. Et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Domi- cato.  
nus Deus Sabaoth. In ambobus Testamentis Trinitas prædica-  
tur. Signanter & notanter ait, in ambobus Testamentis  
prædicatur Trinitas. Intellige sanctissimam Trinitatem per-  
sonarū divinarū in uno Deo. Quam ibidē in dicto Angelico ac  
visione Esaiæ cap. VI. vers. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova  
Deus Sabaoth, plena est omnis terra glorie ejus, prolixè atque  
operosè inculcat. Neque v. solus Hieronymus ita do-  
cuit olim, sed tota antiquitas & universa Ecclesia Chri-  
sti, adeò ut secus sentientes & docentes non raro hæreticis, incre-  
dulis & incurabilibus doxosophis accensere nulli dubitaverint.  
Epiphanius sanè de hæresibus antiquis sub V.T. disertè scri-  
bit.

Hæresis  
Samari-  
tanorum  
in V. T.

Fides Ju-  
dæorum  
de S. Tri-  
tate.

bit. Samaritanorum hæresin eam fuisse, que in V. T. negaverit mysterium S. Trinitatis. Post alia enim in illorum dogmatis & hoc redarguit Hæres. IX. quod dum nihil præter Mosis Pentateuchum de Veteri Codice admitterent, Resurrectionem carnis & unigeniti Filij & Spiritus sancti Divinitatem negaverint, putantes se idolorum repudiat à superstitione unum Deum oportere colere, neq; τὸ αὐτεβέστερον ὄπιγνωσαι, οὐ μέλαινα suscepisse. Hanc Hæresin Samaritanorum, quam ipse primam post Gentilismum constituit: δέχεται αἱρέσεων διπλό γε φῦς γενῆς αἱρετικῶν, primam hæresin eorum, qui ad sacras literas provocant, his verbis refutat: Διαρρήδην πίστιν εὐθὺς ὁ κύριος λέγει τῷ μωυσεῖ: Manifestè itaq; & oportu-  
nè Dominus Mosis dicit: Adduc mibi in montem LXX. Seniores & accipiam de Spiritu tuo, & in illos effundam &c. De Filio verò, utic cognosceremus, Pater ita loquitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Atq; vox ista, Faciamus, non unum dunt axat significat. Item: Pluit Dominus in Sodomam à Domino de cælo &c.. Hæc Epiphanius d. l. E quibus duo palam constant. 1. Inter Judeos in Ecclesia I-  
raelitica V. T. Hæreticos habitos fuisse, qui mysterium SS. Trinitatis inficiarentur. 2. Communem doctrinam in V.T. fu-  
isse, Messiam, seu Christum esse verum Deum, ut & Spiritum, Sanctum, ibiq; adeò notas & creditas fuisse distinctas Deita-  
tis personas. Sanctus Hilarius in lib. IV. & V. de Trinitate operosus valdè est in enodanda hac causa, & prolixè differit contra Hæreticos, qui ex lege & Prophetis unum Deum ita confitebantur, ut Christum verum Deum negarent, pluresque adeò in Deo personas tollerent. Contra ipse multis V. T. oraculis ostendit, unum quidem in lege ac Prophetis reve-  
lari, sed ita tamen, ut Christus quoq; Verbum Patris, & Ange-  
lus ejus sit verus Deus. Cujus instituti sui rationem sic pro-  
dit in libr. 1. de Trinitate pag. 7. & 8. Quartus, inquit, liber i-  
nitium



nitium ex Hereticorum doctrinis auspicatur, proferens perfidia&  
expositionem, & subdolè eos ac per id impiissimè unum Deum,  
ex lege defendisse convincens, omnibus legis ac Prophetarum,  
testimonij ita demonstratis, ut sine Deo Christo, unum Deum S. Hilarig  
confiteri, irreligiositas sit, & confessò Deo unigenito Christo, de Trini-  
non unum Deum prædicare perfidia sit. Quam in rem pro- te ex V. T.  
ducit dicta de creatione universi per verbum Dei Patris fa-  
cta, urgetq; præcipue illud, quando Elohim ait Gen. I. v. 26.  
faciamus hominem ad imaginem nostram &c. Quero, inquit  
lib. IV. pag. 38. solumne sibi Deum locutum esse existimes, an ve-  
rō sermonem hunc ejus intelligas, non sibi, sed ad alterum exti-  
tisse? Si solum fuisse dicis, ejus ipfius voce argueris dicentis:  
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā.  
Deus enim per legislatorem secundum intelligentiam nostram  
locutus est: verbis videlicet, quibus uti ipse nos voluit, cognitio-  
nem eorum nobis, quæ gessit, impertiens. Significato namq; Dei  
Filio, per quem facta sunt omnia, in eo quod dictum est: Et di-  
xit Deus, fiat firmamentum: rursum ita dictum est: Et fecit  
Deus firmamentum. Ne tamen hic quidam inanis ac super-  
fluus sermo existimaretur, si sibi ipfi dixisset, ut fieret, & rur-  
sum ipse fecisset. (Quid enim tam alienum ab eo, qui solus esset,  
ut sibi faciendum diceret, cum voluntate tantū opus esset, ut fie-  
ret?) absoluteq; voluit intelligi significationem hanc non ad se-  
tantum esse referendam, dicendo: Faciamus hominem ad i-  
maginem & similitudinem nostram, sustulit singularis intel-  
ligentiam professione consortij. Consortium autem esse aliquod  
solitario ipsi sibi non potest. Neq; rursum recipit solitarij solitu-  
do, faciamus. Neq; quisquam alieno à se, nostram loquitur.  
Uterq; sermo & faciamus & nostram, ut solitarium eundemq;  
non patitur, ita neq; diversum alienumq; à se significat. Huc  
commodè refert. Prov. VIII. v. 22, 23. &c. ubi de sapientia  
Dei creatrice omnium agitur, quam ille suo adversario re-

Etè opponit pag. 39. ibid. Sapientia, inquit, quam tu ipse Christum confessus es, contraibit dicens: cum certos ponebat fontes sub cælo, cum fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud illū cuncta componens. Ego eram, ad quem gaudebat, quotidiè autem latabar in conspectu ejus in omni tempore, cum lataretur orbe perfecto, & latabatur in Filiis hominum! Conclusa est omnis occasio & eò arctatur ad veri confessionem universus error. Adest Deo genita ante secula sapientia. Negat solum adest, sed etiam componit. Est ergo componens apud ipsum. Dehinc ostendit, quod Angelus ille, qui apparuit Abrahamo Gen. XIIX. Jacobo cap. XXXII. v. 24. cap. XXXV. v. 1. Moysi Exod. III. &c. fuerit increatus Angelus, nempe æternus Dei filius. Producit insuper non pauca oracula V. T. quibus assertur divinitas Christi, utpote ex Mose, ejusq; cantico Deut. XXXII. cap. XXXIII. v. 16. 29. itemq; ex Prophetis Ps. XLV. v. 8. Ps. II. v. 7. 8. Esa. XLV. v. 13. 14. 15. Os. I. v. 7. &c. De quibus S. Hilarij argumentis non sine causa scribit B. Lutherus in enarrationibus super Genes. cap. I. quod clara satis atq; valida sint in astruendis distinctis personis divinis, nec nisi ab impijs atq; incredulis improbari possint. Hujusmodi, inquit pag. 5. ibidē, testimonia plurima passim extant, quæ optimus vir Hilarius diligenter collegit, quod si sint obscura aut parum firma videntur, impijs & incredulis sic videntur: Piis firma & satis clara sunt, quæ divinis literis prodita & ostensa sunt. Sciunt enim aliam personam dicentis Dei esse, & aliud non natuā, sed persona, esse verbū, per quod omnia condita sunt & adhuc hodiè conservantur &c. Similiter de Angelo increato præsertim ex Gen. XLVIII. v. 16. & Exod. III. v. 2. 4. 6. 14. 15. differunt S. Basilius in lib. 2. contra Eunomium, & Cyrillus Alexandrinus lib. 3. thesauri. c. 1. Eosq; qui negant illic Filium Dei apparuisse, incurabiles vocant, hæreticisq; assimilant. Dixit Angelus Moysi: Ego sum Patris tui Abraham, & paulò post.

Lutherus  
de Testi-  
monijs V.  
T. ab Hi-  
lario colle-  
ctis.

Incredu-  
lis sunt  
obscura.

post. Ego sum, qui sum Exod. III. v. 6. 14. Quis igitur, querit M.  
Basilius d. l. idem Angelus & Deus? Nonne de quo dicimus, Incurabi-  
quod vocatur nomen ipsius magni consilij Angelus? Ego quidem les sunt,  
non puto pluribus opus esse ad demonstrationem, verum amanti-  
bus Christum sufficere etiam recordationem: His vero qui in-  
curabiles sunt, nullam utilitatem, ex multitudine eorum, NB.  
qui dicuntur, accessuram esse. Patriarcha Jacobus Deum & An-  
gelum invocat, ut benedicat filii Josephi. Gen. XLIX.  
v. 16. ubi recte monet Cyrillus d. l. nos nugis hereti-  
corum contemptis Patriarcha verba breviter exponamus. Spi-  
ritu ergo ille Sancto ad veritatem dogmatum ductus, primo De-  
um orat, ut pueris benedicat, & simuletiam Angelum, qui libe-  
rabat eum ex omnibus malis: Ut per Deum Patrem ipsum signi-  
ficaret, per Angelum autem verbum Patris. Non enim ignora- Heretici  
bat, quia nomen ejus magni consilij Angelus est. Quod autem angelum  
non Angelum (ut intelligunt heretici) sed Filiu Dei significarit, creatum  
inde patet, quodcum dixisset Angelus, statim addidit, qui me li- intelligunt  
berat ex omnibus malis &c. S. Augustinus quoq; lib. XVI. Gen.  
contra Faustum conceptis verbis docet: Angelum illum Ex- XLVIII.  
od. XXXIII. de quo dicitur, quod nomen Dei fuerit in medio e-  
jus, Christum fuisse, non creatum Angelum. Scrutetur, inquit,  
hunc locum non solum Manichaeus, sed etiam Iudeus, utrum de  
aliquo Angelo dixerit Deus: Nomen meum est in illo, nisi De Ange-  
de hoc ductore populi: Jesus enim est Rector & ductor populi in lo increa-  
hereditatem vita eterna, cuius typus fuit Iosua nomine & re. to. S. Au-  
Adde ex Tom. VI. lib. 3. contra Maximin. cap. 26. ubi apparitio- gustin.  
nem trium virorum Gen. XII. ita explicat, ut disertis verbis  
fateatur, in tribus illis Viris unum fuisse Dominum (Dei Fi-  
lium) & Abram apparuisse. Sed de his ipsis alibi. Nunc  
pro ratione temporis de Redemptore generis humani, ejusq;  
officio & merito paucula quedam in medium afferre constitu-  
imus. Cui instituto nostro, ut Dominus Deus & Redemptor no-  
ster ap-

ster apanuere ex altis benigniter, ac benedicere velit, supplices  
precamur, & devoti prorsus oramus.

THES. I.

Doctrina de Redemptore generis humani necessaria  
utiq; est, & solatio plenissima. Neq; enim sine dispendio  
salutis ignorari potest, neque ejus cognitio quenquam à se  
dimittit tristem. Et primò quidem agnoscenda est noxa  
*Miseria*, culpaq;, quā totum genus humanum per prævaricationem legis  
& servitus inservitutem Satanae & captivitatem infernalis barathri de-  
hominū. trusum fuerat, adeò, ut nisi redemptio inde facta esset, omnibus  
hominibus morte moriendum fuisset, atq; in æternum pereundū.  
Gen. II. v. 17. Rom. III. v. 19. Ni mirum spoliati eramus omni  
bono Gen. III. v. 7. Etdemersi in abyssum omnium hor-  
ribilium malorum, obnoxij terroribus, pavoribus, iræ  
Dei, inimicitiae hostis infernalis expositi Gen. III. v. 8. & seqq.  
Captivi detinebamur laqueo peccati & vinculis iniiquita-  
tum II. Timoth. II. v. 26. Tit. II. v. 14. sub potestate tenebra-  
rum Col. I. v. 13. sub execratione legis. Gal. III. v. 13. sub im-  
perio diaboli & metu mortis Ebr. II. v. 14. Luc. I. v. 74. se-  
debamus in tenebris & umbra mortis. Luc. I. v. 80. mortui  
in peccatis Eph. II. v. 1. 5. servi peccatorum Job. VII. v. 34.  
naturā filij iræ Eph. II. v. 3. maledicti & damnati in gehé-  
na Os. XIII. v. 14. vineti in cisterna infernali & lacu miseri-  
arum Zach. IX. v. 11. Unde non sine suspiriis gemituq; canit  
Ecclesia :

Dem Teuffel ich gefangen lag /  
Im Todt war ich verlohren.  
Mein Sünd mich quehlet nacht und tag /  
Darin ich war gebohren  
Ich fiel auch immer tieffer drein /

Es war

Es war kein gutes am Leben mein /  
Die Sünd hat mich besessen:

THES. II. Tanta profectò ea est corruptio & miseria  
omnium, ut inde nemo emergere, aut eluctari sine Re-  
demptore, possit. *Fratrem redimendo non redimet quispi-*  
*am nec dabit pretium redemptionis ejus. Nam pretiosa est re-*  
*demptio animæ ipsorum, & desinet in seculum. Ps. XLIX. v. 8. 9.*  
Attende modò peccati atrocitatem, per prævaricationem  
legis & lapsum Protoplastorum contractam, quæ utique  
levicula macula non est, nec externa quædam privatio, quâ  
ipsa natura non sit corrupta, aut quâ externa saltem dona  
& supernatura furent sublata, ut Papistæ disputant, nec  
in nudâ duntaxat consistit bonorum concreatorum *επίστη*,  
privatione, ut Novatores quidam contendunt, sed & in  
horribilium malorum *θέση*, quæ complectitur intimam  
naturæ corruptionem, summam pravitatem habitualem,  
concupiscentiam carnis rebellantis, perversitatem affectu-  
um, & fœdissimam totius hominis perditionē. &c. Rectè  
graviterq; scribit B. Luth. contra eos, qui negant naturalia  
fuisse corrupta in primo homine, fontemq; illius erroris  
egregiè ostendit in comment. *super Gen. III. p. 40. Col. B. Luth. de Scholastici*, ait, disputant, quod justitia originalis non fuerit supernaturalis, sed ceu ornatus quidam additus homini tanquam turalibus.  
donum: *Ult si quis formosæ puellæ coronam imponat. Corona certè non est pars naturæ virginis, sed quiddam separatum à naturâ, quod ab extra accedit, & sine violatione naturæ potest iterum adimi. Quare disputant de homine & demonibus, quod etsi justitiam originalem amiserint, tamen naturalia pura manserint, sicut initio condita sunt. Sed hæc sententia, quia peccatum originis extenuat, ceu venenū fugienda est. Et paulò post: Vide, inquit, quid sequatur ex illâ sententiâ, si statuas justitiam originalem non fuisse naturæ, sed donum quoddam superflu-*

B

um su-

*Redemtio  
necessaria.*

um superadditum, annon, sicut ponis justitiam non fuisse de es-  
sentiâ hominis: Ita etiam sequetur, peccatum, quod successit, non  
esse de essentiâ hominis ( peccatoris & fœdissimè corrupti )  
Annon igitur frustra est mittere Redemptorem Christum,  
cum justitia originalis tanquam alienares à naturâ ablata est,  
& integrâ naturalia manent? Quid potest indignius Theologo  
dici? Quare fugiamus deliria ista, tanquam veras pestes &  
corruptelam sacrarum literarum, & sequamur potius experien-  
tiam, quæ docet, quod nascimur ex immundo semine & contra-  
bimus ex ipsâ naturâ seminis ignorantiam Dei, securitatem,  
incredulitatem, odium erga Deum, inobedientiam, impatienti-  
am & similia gravissimavitia. Hæc sic in carnem nostram sunt  
implantata, hoc venenum sic latè per carnem, corpus, animam,  
nervos, sanguinem per ossa & medullas ipsas in voluntate, in-  
tellectu, in ratione diffusum est, ut non solum eximi planè non  
possit, sed ne quidem agnoscatur peccatum esse. Hæc omnia  
B. Lutherus d. l. Hanc itaq; summam naturæ corruptio-  
nem primò omnium agnoscamus oportet, si de beneficio  
Redemptoris rectè judicare velimus.

THESS. III. Hinc non potest non sequi extrema perdi-  
tio, maledictio, damnatio & æterna mors, quæ omni-  
um malorum maximum est. Stipendum peccati mors  
est Rom. VI. v. 23. sicuti transgressoribus legis morte mo-  
riendum erat Gen. II. v. 17. indeq; peccatum intravit in  
mundum, ut per peccatum mors in omnes homines per-  
vaserit, eaq; regnet in condemnationem Rom. V. v. 12. & seqq.  
Lex redarguit omnes, qui sub lege sunt, ut omne os obtu-  
retur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei  
Rom. III. v. 19.

Redemptor  
noster  
Christus  
est.

THESS. IV. Necessum proinde est, ut & habeamus Re-  
demptorem, qui ab æternâ morte nos redimat, & sciamus  
insimul, quomodo inde redimamur omnes. Christus Je-  
sus est

sus est Redemptor noster, qui nobis à Deo constitutus est  
ἀπλύτωσις redemptio 1. Cor. I. v. 30. qui dedit semeti-  
psum pro omnibus redemptionem αὐτὸν οὐτε πάν-  
των 1. Timoth. II. v. 5. dedit animam λύτρον redemptionem  
pro multis Matth. XX. v. 28. Sicque æternam redemptio-  
nem αὐτὸν λύτρον invenit Ebr. IX. v. 12. Verè beneque  
scribit S. Augustinus Epist. XXVIII. Certisimus omni ani-  
mæ, etiam parvuli infantis, necessariam esse liberationem ex ob-  
ligatione peccati, eamq; nullam esse, nisi per Jesum Christum &  
hunc crucifixum item Epist. CLVII. Nemini nasci ex Adam,  
nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum, neminemq; in-  
de liberari, nisi renascendo per Christum, tām inconcussè tene-  
re debemus, ut sciamus eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad  
Christi fidem, & ad eam, quæ per Christum datur pusillis &  
magnis, Dei gratiam pertinere. Illa fides sit salva, quā cre-  
dimus nullum hominem sive majoris sive parvula quamlibet &  
recentis aetatis liberari à contagione mortis antiquæ & obligati-  
one peccati, quod primā nativitate contraxit, nisi per unum  
Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum.

THESS. V. Sicuti verè doctrina de Redemptore gene-  
ris humani quām maximè necessaria est, sic quoq; svavissi-  
ma, exoptatissima & solatio plenissima est. Nam in ea no-  
bis miserrimis & perditissimis hominibus monstratur &  
sistitur Redemptor noster, qui nos ab omni malo per pec-  
cata contracto plenissimè ac efficacissimè redemit, ut o-  
mnes quotquot mortui sunt in Adamo, restaurentur & vi-  
vificantur rursus in Christo Matth. XVIII. v. 11. Cor. XV. v.  
22.

Quandoquidem Christus nos redemit ab irâ Dei. Rom.  
V. v. 9. 1. Thess. I. v. 10. tollendo inimicitias, placando Deū ,  
eiq; nos reconciliando. Eph. II. v. 16. 17. 18. Col. I. v. 20. 2.  
Cor. V. v. 19. A judicio Dei, quod propterea subeundum  
non est creditibus Job. V. v. 24. Job. III. v. 18. à sententiâ

effecta &  
beneficia  
Redem-  
ptoris.

legis divinæ *Gen. II. v. 17. Gal. IV. v. 4. 5.* à maledicto & execratione legis *Col. II. v. 14.* à reatu legis, ut nihil sit condemnationis, *ἡδὲν κατάκερμα* in ijs, qui sunt in Christo Jesu *Rom. IIX. v. 1.* Redemit nos ex omnibus inimicis, & manu omnium, qui oderunt nos *Luc. I. v. 41. 44.* è potestate tenebrarum *Col. I. v. 14.* ab imperio diaboli & mundi *Job. XII. v. 31. cap. XVI. v. 11. 33. Col. II. v. 9. 10.* Redemit nos à laqueo peccatorum *2. Tim. II. v. 26.* è servitute peccatorum *Job. VIII. v. 36.* ex vinculis iniquitatum *Tit. II. v. 14.* ex vanâ conversatione *1. Pet. I. v. 19.* ex omnibus iniquitatibus *Pf. CXXX. v. 8.* ex prævaricationibus *Ebr. IX. v. 15.* Redemit nos è metu mortis *Ebr. II. v. 14.* è tenebris & umbra mortis *Luc. I. v. 80. Pf. LXIX. v. 21.* è lacu omnium misericordiarum *Zach. IX. v. 11.* ex inferno *Oſ. XIII. v. 14. 1. Cor. XV. v. 55. 56. 57.*

THESES. VI. Ecce tot & tanta sunt mala, è quibus nos Christus redemit. Quæ omnia profectò religiosè notemus oportet, nec unquam demus oblivioni, ut Dominus ipse graviter exhortatur omnes. *Esa. XLIV. v. 21, 22.* Memen-  
to horum omnium Jacob & Israel, quoniam servus meus es tu,  
formavite, servus meus es tu Israel, ne obliviscaris mei. Delevi  
ut nubem prævaricationes tuas, & veluti nubem peccata tua:  
Revertere ad me, quia redemi te. Sic vero nos redemit Christus, ut magno pretio empti simus *I. Cor. VI. v. 20.* Sed & sciamus nos non caducis rebus, auro vel argento redemptos esse ex vanâ conversatione, ex Patrum traditionibus accepta, verum pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati Christi. *1. Pet. I. v. 18. 19.* Nimirum innocentissima sua morte nos redemit, in ara crucis vulneratus & crucifixus sanguinem suum pro nobis effudit: Hoc cogita O, homo, & intuere Redemptorem tuum: *Inspe vulnera- pendentis, sanguinem morientis, pretium redemptionis, cicatrices resurgentis.* Caput habet inclinatum ad osculandum, cor aper-

apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hec quanta sint, cogitate, hac in statu cordis vestri expedite, ut totus vobis figuratur in corde, qui totus pro nobis fixus est in cruce, August. lib. de virginitate.

THESES. VII. Ceterum quatuor ordine nobis hac vice consideranda veniunt. I. Num doctrina redemptionis in V. T. explicitè fuerit tradita & credita II. Num Redemptor generis humani debuerit esse verus Deus, & nū iste sub antiquo foedere explicitè sic revelat⁹ & cognit⁹ fuerit. III. Quomodo Christus nos redemerit, nō sine satisfactione, sed pretiosissimo & sufficientissimo λύτρῳ. Deniq; IV. de amplitudine redemptionis quædam subjiciemus, quod ea ex æquo pertineat ad omnes homines, quodq; Christus sit Redemptor totius generis humani, non paucorum, non electorum tantum, sed omnium hominum Redemptor.

THESES. Primum itaq; quod concernit, istud hodiè in dubium vocatur ab ijs, qui disputant notitiam *Redemptionis explicitam* & distinctam Novo Testamento reservatam fuisse, ita, ut eadem in V. T. explicitè non fuerit tradita nec cognita, sed ejus fides ibi tantum fuerit *implicita*, uti conceptis verbis scribit Latermannus in *disputat. de mysterio Sanctissima Trinitatis thes. VI. Anno 1645. Helmstadij hab. Calixtus* bita, nec non ejus Præses Calixtus, Autor dissertationis *de mysterio SS. Trinitatis. n. 5.* Et hic quidem causam suam probare conatur ex Hugone, qui ista de re *libro de Sacramentis fidei primo parte X. Cap. VI.* in hunc modum loquitur: *Credit per temporis fides in omnibus, ut major esset; sed mutata non est, ut alia esset. Ante legem Deus Creator credebatur, & ab eo Salus & Redemptio exspectabatur; per quem vero & quomodo ea salus perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, à ceteris, etiam fidelibus,*

Redemptor non cognoscetur. Sub Lege autem persona Redemptoris mit-  
An homo, tenda prædicebatur, & ventura exspectabatur, quæ autem ipsa  
vel ange-  
lg, an Deg. persona hæc foret, homo, an Angelus, an Deus, nondum ma-  
nifestabatur. Soli hoc cognoverint, qui per Spiritum ad hoc  
singulariter illuminati fuerunt, sub gratia autem manifestè o-  
mnibus jam & prædicatur & creditur, & modus Redemptionis,  
& qualitas personæ Redemptoris. Semper tamen in Ecclesia  
Dei ab initio fidem & cognitionem fuisse credimus incarnationis  
& passionis Christi; quia ab initio nunquam defuerunt, qui  
hoc cognoverunt. Et capite sequente; Omnes qui futuram Re-  
demptionem crediderunt, hæc etiam, in quibus Redemptio con-  
stebat, credidisse, non inconvenienter affirmantur. In quan-  
tum enim ipsam, quæ omnia hæc continebat, redemptionem  
futuram crediderunt, hæc crediderunt: quamvis eandem de  
ipsis in credendo cognitionem non habuerunt. Scholastici dice-  
rent, implicitâ eorum fide præditos fuisse, non explicitâ. Hæc  
Calixtus dicto loco. Quæ omnia si vera sunt, tūm fideles  
V. Testamenti ejusmodi implicitam redemptionis fidem  
habuerunt, ut personam Messiæ ignoraverint, num sit ho-  
mo, vel Angelus, an Deus, quippe quod nondum fuerit ibi  
manifestatum, & hoc duntaxat cognoverint illi soli, qui  
per Spiritum ad hoc singulariter illuminati fuerant. Præte-  
rà scribit Calixtus part. i. epitomes Theolog. moral. de legibus  
pag. 74. Lex exigit fidem non implicitam, ut vocant, vel confu-  
sam, qualis in vetere pacto sufficiens erat, sed explicitam & di-  
stinctam, nempe jubet credere in Iesum Christum Dei Patris  
omnipotentis, Creatoris cœli & terre, unigenitum filium, qui è  
virgine homo natus, ut nos à peccato & damnatione redimeret.  
Hoc ergò juxta Calixtum nonnisi implicitè credere tene-  
bantur Majores nostri sub veteri fœdere. Similia in ma-  
ledicâ appendice nuper edita passim proponit inculcatq;

Implicita  
fides.

Fides,

*Fides sub V. Testamento, inquit, n. 22. fuit confusa & implicata: sub novo autem distincta & explicita.*

THEs. IX. Sed ut hæc causa planior expeditiorq; redatur, primò omnium status controversiæ probè constituendus est, & termini explicandi rectius, quibus variè ludit Adversarius, indeq; non parum involvit negotium. Quæstio non est de gradibus evidentiæ aut æqualitate cognitionis. *Status Cōtroversiæ.* Nemo enim statuit parem modum, gradumq; cognitionis utrobiq;. Major omnino Lux est N. T. major & clarior ibi est doctrina de Christi Mediatoris persona & officio. Simiter non quæritur comparatè de perfectione notitiâ, nec quæstio est de circumstantiis temporum. Nemo enim ignorare potest, quod illic in V. T. agatur de futuris, hic in N. T. de præteritis & præsentibus: Sensus comparativus utiq; discernendus est ab absoluto. Certè quæ comparatè in respectu ad aliud majus, præstantius clariusve negantur, illa nō protinus absolute neganda sunt. Sol splendidior & lucidior est reliquis stellis. Ergone reliquæ stellæ non sunt splendidae, non lucidae? Aurum pretiosius est Argento. Ergone argentum non est pretiosum? Ineptæ igitur sunt ratiocinationes. *Doctrina N. T. est clrior, perfectior, distinctior. Ergo doctrina V. T. non est clara, non perfecta, non distincta.* Distinctior Cognitionis, inquit Latermannus in dicta disputacione, non potuit non reservari N. T. Quid inde? scilicet E. ea non fuit distincta sub vetere, nec perspicue ibi continetur. Fadem Chordā oberrat Calixtus: Argumenta & Testimonia V. T. de Divinitate Christi non satis evidenter evincunt, quia non æquè clara & valida sunt. Quæstio erat de qualitate argumentorum, num dicta V. T. satis clara sint, & valida in convincendis Judæis & hæreticis aliis. Affirmamus nos. Contra Calixtus in Notis program. n. 6. sic respondet. *Si æquè clara & valida, & ab elusione immunia essent argumenta.*

gumenta & testimonia de mysterio Trinitatis, aut etiam de di-  
vinitate Messiae, quām sunt de adventu Messiae, tum disputaturo  
cum Judaeis perinde esset, num ab ista assertione demonstranda  
initium ficeret, vel ab altera. Sed quoniam testimonia pro  
ista non satis evidenter convincunt, ideo observanda erit me-  
thodus &c. Item Quando autem contra Photinianos disputa-  
tur, si & quē convinci possent dictis antiqui, quām Novi fœderis,  
ab illo vel propter antiquitatem & temporis rationem initium  
meritò fieret. Hæc Calixtus ad dictam quæstionem respon-  
det. Appositè ac argutè. Scilicet. Connecte medium  
probandi cum quæstione probanda, & apparebit acumen  
logicum. & dñs w̄s ēw̄ & inepta omnia. Quæstio non  
erat, num & quē valida. Ineptè igitur respondetur. Si & quē  
clara & valida &c. Sed & auditis, cur non satis convincant:  
contra Photinianos: quia non & quē valida &c. Eandem  
artem exercet Calixtus in torquendis & pervertendis dictis  
B. Lutheri. Comparatè loquitur Lutherus in enarrationib⁹  
super Gen. c. I. p. 14. col. B. S. Patres hanc cognitionem per Spi-  
ritum Sanctum habuerunt, quamquam non ita clare, ut nunc,  
cum audiamus in N. Testamento nominari Patrem, Filium &  
Spiritum Sanctum. Manifestissima comparativa enun-  
ciatio est. Et sic porrò B. Lutherus tūm ibi tūm alibi pas-  
sim comparatè loquitur, & tamen non veretur Calixtus i-  
psi absolutum imponere sensum, ac si absolutè negasset cla-  
ritatem V. Testamenti.

Doctrina  
Redemti-  
onis qua-  
lis in V. &  
N. T.

THE. X. Sed ut ad rem redeamus, libenter concedi-  
mus & ambabus, quod ajunt, manibus largimur, quod no-  
titia redemptionis in N. Testamento longè clarior distinctior q̄  
sit, quam fuit subfædere vetere, quodq̄ doctrina de Christo re-  
demptore, ejusq; officio, persona & divinitate clarius & distin-  
ctius in Scripturis Evangelicis, & Apostolicis proponatur, quam  
olim in Scripturis Mosis & Prophetarum fuerat tradita. Lux  
& dies

& dies ibi appropinquavit, nox verò præcessit, ut loquitur  
Apostolus *Rom. XIII. v. 12.* Sol justitiae ortus est, & oriens  
exalto nos visitavit *Luc. I. v. 78.* Lux magna exorta est illis,  
qui sedebant in umbra mortis *Mattb. IV. v. 16.* juxta vati-  
cinium *Esa. IX. v. 2.* Deus manifestatus est in carne *i. Tim.*  
*III. v. 16.* & gratia salvifica illuxit omnibus hominibus. *Tit.*  
*II. v. 11.* Sic igitur omnino major lux doctrinæ fulget in.  
N. T. Hoc, inquam, certum est, & utrinq; concessum. Sed  
quod *nulla explicita, nulla distincta redemptionis notitia in*  
V. T. fuerit, nec ulla distincta cognitio Redemptoris de  
Christi Redemptoris personâ & divinitate illic claruerit,  
id verò est, quod hic controvertitur, quodq; nos impu-  
gnamus.

THE S. XI. Hisce observatis, jam vide quid contradic-  
sputet Calixtus, & quomodo suam thesin, quam in differen-  
tiatione de mysterio SS. Trinitatis proposuerat, probet, tu-  
eaturq;. *Dissertatione mea*, inquit, in maledica Appendix  
ab initio statim *Num. II.* ostendi, tum Gracos, tum Latinos Ve-  
teres existimare, quod communiter omnes fideles Veteris Testa-  
menti mysterium Trinitatis personarum divinarum non habu-  
erint explicitè cognitum, uti habent fideles N. Testamenti; &  
proinde non fuisse perspicuè in sacris illis libris revelatum, ut id  
ipsum aut olim omnes ibi deprehendere, aut hodiè nos sine ad-  
miniculo Novi contra serios Adversarios, quales imprimis Ju-  
dei sint, evincere possimus. Hæc ille ibid. Verum enim verò  
i. Non ostendit, quod sibi proposuerat. Promiserat enim se  
velle edocere, quid de propositâ quæstione antiquum pri-  
mum et medium Doctores statuerint. At hoc non fecit.  
Dicit quidem in Conclusione primæ quæstionis num. XX.  
testantur id, tot à nobis pridem producti ex summa & ima an-  
tiquitate Doctores. Sed fallit & falsum dicit. E summa anti-  
quitate primorum seculorum ne illum quidem Patrem

C

pro-

produxit: Nullum ex primo seculo ecclesiæ Christi, nullum ex secundo, nullum ex tertio. Demum ex quarto & posterioribus seculis quosdam inducere conatur. Sed perpetram, ut egregiè ostendit Hülsemannus in *Dialysi problemat.* Calixtinus p. 109. num. XLIX. & seqq. II. dissimulat Calixtus Catholicam fidem, quam universa summa antiquitas in ecclesia Christiana semper docuit. Quæ cum Calixti novationibus planè adversa sit, premere eam potius in totius ecclesiæ fraudem voluit, quam promere. Contrarium enim docent antiquissimi Patres & ecclesiæ Doctores: S. Ignatius in Epistolis, Justinus Martyr in dialog. cum Tryphon. Iudæo, Irenæus in libris adversus heres, Tertullianus adversus Iudæos, & Praxeam, Origenes, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Athanasius & alij in universum omnes, uti alibi fusi edocuimus. III. Cothurnus latitat in particula UTI, quando ait, non habuerunt cognitum, uti fideles N. Testamenti, item num. 29. mysterium Trinit. veteribus, non ita ut nobis, fuit cognitum. Involvitur ibi similitudo & comparatio quædam, quæ evolvenda rectius est. Adverbium UTI, & sicut, ut, Wie, norat vel primò identitatem speciei in veritate rei seu objecti. Quo sensu Lutherus ait, Tom. VIII. Jenens. Germ. in concione paulò ante mortem habita. Dieses ist unser gewisser grund und trost/ wieder alle des Teuffels vnd der Hellen Pforten/ toben vnd wüten/ daß wir wissen/ daß unser Glaube an diesen Herrn/ den wir bekennen Warhaftigen Gott vnd Mensch/ der rechte erste vnd elteste Glaube ist/ vnd findet sich/ daß wir Gott lob/ am ende der Welt eben also glauben/ vnd eben dasselbige Predigen/ wie Adam/ Abel/ Noe/ Noah/ Abraham vnd alle Väter vnd Propheten geglaubet und gepredigt haben. Et hoc sensu falsissimum est, quod ait Calixtus.

Iixtus. Eadem enim fides utrobiq; est, ut Calixtus ipse Num.  
21. diffiteri non potest : Vel secundō notat similitudinem  
*Accidentium seu aequalitatem aut quantitatem gradumq; evi-*  
*dentia.* Et sic fallit ratiocinatio Calixti, neq; sequitur fide-  
les V. Testamenti non cognoverunt personas Deitatis, vel  
Christum Redemptorem, in pari aut aequali ratione, Ut i nos,  
secundum paritatem vel aequalitatem cognitionis. Ergo  
non cognoverunt nec perspicue ibi fuit revelata illa doctrina.  
Hoc, inquam, non sequitur. *Accidentia enim & gradus non*  
*variant speciem, ut notissimum est, sicut nec scientia, qua in u-*  
*no magis fuerit perfecta, in altero minus, propterea variat.*

THES. XII. Hanc verò sive identitatem *accidentalem*,  
sive *paritatem, aut aequalitatem cognitionis* in utroq; Testa-  
mento, uti nunquam statuimus, ita satis mirari non pos-  
sumus, quâ fronte, quâ conscientiâ, id nobis affricare non  
dubitet Calixtus, ac si utrobiq; distinctā aequē, pariterq; ex-  
plicitam fidem, parēq; mysterij *Redemptionis cognitionē* sub V.  
T. fuisse necessariam statuamus. Nunquam hoc vel dixi, vel  
scripsi, ne per somnium quidem cogitavi, neq; tale quid  
ex meis scriptis ullâ verâ Consequentiâ exsculpi potest. Fal-  
sissimum est, quod ait ille, in appendice responsionis num.  
XIIIX. Scharfius docet, parem mysterij *Redemptionis cognitionē*  
sub *Vetere Testamento* necessariam fuisse. Non id doceo,  
produc tabulas. Falsa ea hypothesis est, quam sibi singit,  
antagonista, indeq; cum fictis larvis disputat. Vanissimū  
est, quod continuò annectit, dum negat supervacaneum esse  
digladiari. (de notitia *Redemptionis* sub fædere vetere Chri-  
stiq; divinitate) nec questionē referendā esse inter ea, ob que  
praxis nostra, nec melius nec deterius sit habitura, dum, inquit,  
haec negat Scharfius, eo ipso affirmat, necessarium nobis esse, ut  
antiqui fæderis homines ejusmodi explicitâ Trinitatis fide, &  
distincta *Redemptionis cognitione* præditos fuisse credamus. Ita

ille ratiocinatur. Lepidè satis. Egregia sequela. Non est supervacaneum. Ergò est necessarium. Scilicet. *Quasi u. statim sit necessarium, quod non est supervacaneum.* Quid verò ais Calixte, Est ne supervacaneum disputare de Redemptione ex V. T.? Est ne supervacaneum fidem suam inde astruere ac corroborare? Est ne supervacaneum scire Redemptionem in V. T. fuisse promissam, revelatam, creditam? Porrò fallit Calixtus in dictione Comparativa, ejusmodi explicitâ, ut paulò antè notavimus. Necessarium vero est, ut scrutemur scripturas V. Testamenti, ut Christum Redemptorem inde cognoscamus, & vitam æternam in ipso inveniamus, jubente Domino ipso. Job. V. v. 39.

Implicita  
fides.

THESES. XIII. Vidimus hactenus, quomodo Calixtus Sophisticetur in comparativis locutionibus, ijsq; involvat cōtroversiam, pervertatq;. Nunc excutienda porrò sunt, quæ de implicitâ & explicitâ fide disputat. Scholastici, ait, in dissertatione n. v. ut superius citavimus, dicerent, implicitâ eorum, (quæ de persona Redemptoris, num homo, an Deus aut angelus sit, & redemptionis negotio in V. T. erant revelata) fide præditos fuisse (fideles ejus temporis) non explicita. Scripsérat Hugo, que persona Redemptoris foret, homo, an angelus, an Deus, nondum manifestabatur sub lege, nec omnino eandem de redēptione in credendo cognitionem habuerunt. Hæc inde citat Calixtus, subditq; implicitâ eorum fide præditos fuisse, non explicitâ, ut loquerentur Scholastici. Et sic passim scriptitat implicitam fidem Redēptionis Novo T. fuisse reservatam, in V. autem T. non nisi implicitâ fuisse, ut supra ejus verba produximus. Hæc num sana satis sint, h̄ic breviter dispiciemus. Audiamus ergò ante omnia Scholasticos, eorumq; sequaces, quid illi tradant de implicitâ & explicitâ fide. Sic scribit Martinus Bonacina Mediolanensis Theologiae & J. U. D. Comes Palatinus & triusq;

triusq; signatur & Reverendarius Apostolicus Tom. 2. Summa  
moral. disput. III. de primo Decalog. præcepto quæst. 2. punct. 2.  
Fides explicita contingit, quando aliquid creditur in particula-  
ri & in seipso. Unde, qui credit Christum resurrexisse, dicitur  
habere fidem explicitam resurrectionis. Implicita vero est,  
quando aliquid creditur NON in particulari, & IN SEIPSO,  
sed in alio. Ideò, qui credit, quicquid credit Sancta Mater, Ec-  
clesia, dicitur habere fidem implicitam Trinitatis, incarnatio-  
nis &c. Quia inter ea, quæ credit sancta Mater, Ecclesia, est  
Mysterium Trinitatis &c. Similiter docet Franciscus Ami-  
cus Academiæ Græcensis Cancellarius in cursu Theologi-  
co. Tom. 4. disput. 13. de necessitate fidei ad salutem conse-  
quendam. Fides explicita, (inquit) dicitur illa, quæ credit  
objectū immediatè in se ipso, & non ex alio vel in alio (objecto)  
cognitū. Ut, cū quis credit Deum in seipso, quamvis CONFUSÆ  
comprehensum. Implicita est, quæ credit objectum non in se, sed in  
alio, quod explicitè creditur, contentum. Ut, qui credit Scri-  
pturam esse à Deo revelatam, implicitè credit singula, quæ in ea  
continentur. Præterea Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 2. scribit:  
Explicitè aliquid credit, qui assentitur rei SIBI DICTÆ, vel  
quam cogitatione concipit: Implicitè, qvi non credit aliquid in  
particulari in se ipso, sed in alio aliquo, in quo illud implicitè con-  
tinetur. Ut explicitè credens, quicquid credit Ecclesia, cre-  
dit implicitè mysterium Trinitatis, Incarnationis, & reliqua.  
Item Azonius P. 1. instit. lib. 8. Si qui homines credant, De-  
um esse magnum quendam Principem, seu Regem humanæ effi-  
gie præditum, in excelso corporali solio sedentem; excusantur  
ab heresi, modò credant Implicitè, quicquid credit Ecclesia.  
Hæc, quæso, ponderet Calixtus, & mature dispiciat secum,  
num ejusmodi Implicitam fidem statuere, eamq; fidelibus  
V. T. imputare velit.

THESES. XIV. Audi verò, quid porrò eandem in rem  
commentetur Scholasticorum turba. P. Lombardus circa  
annum Christi 1145. magister sententiarum, ut in Papatu cele-  
bratur, de fide antiquorum commoverat quæstiones lib.  
III. sententiarum (non 4. ut Calixtus pravè citat) distinctio-  
ne 25. ibiq; enarraverat opiniones S. Patrum, qualem statue-  
rint fidem in antiquis sub lege in Vetere Testamento. v. g.  
habita fide Trinitatis, id de mysterio incarnationis sufficere, ut  
Dei Filius crederetur, nascitus de homine & judicaturus, i-  
tem, multos credere, quod ignorant habentes fidem velatam  
(Implicitam) in mysterio, nempe juxta revelationem generale  
credenda esse ea, qua credebant majores, docebantq;. Cujus  
sententiam varijs atq; operosis Commentariis, sive illu-  
strare & comprobare, sive interpolare, nec non corrigere,  
conati postmodum fuerunt plurimi ejus sectatores, indeq;  
fidem implicitam venditare passim cæperunt. Thomas A-  
quinas circa annum Christi 1255. in Secunda secundæ quest. 2.  
art. 7. in conclusione respons. 3. Si qui, ait, Salvati fuerunt (è  
gentilibus) quibus revelatione non fuit facta, non fuerunt salva-  
ti absq; fide Mediatoris: quia et si non habuerunt fidem expli-  
citam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina  
Providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum  
secundum modos sibi placitos, & secundum quod ali-  
quibus veritatè cognoscentibus Spiritus revelasset. Dehinc Sco-  
tus anno 1300. Subtiliss. Duns, ut vocatur, super lib. 3. Lom-  
bard. distinct. 25. sic scribit: Deus nullam obligat ad impossibi-  
le: Ideo minores & rudes non potentes capere sive distinctè in-  
telligere certos Articulos, non tenentur eos explicitè credere:  
quia nihil potest credi explicitè, nisi apprehensum per intellectū.  
Tenetur ergò ad aliquem actum explicitum pro aliquando, &  
ad alios in generali: ut credant, sicut Ecclesia credit. Duran-  
dus verò anno 1320. in eandem Magistri sententiam q. 1. num.  
5. sic commentatur: Duplieiter dicitur aliquid implicitum  
una

uno modo, sicut actus continetur in potentia vel in habitu: alio modo, sicut particulare in Universali: Et per oppositum, aliquis dicitur habere fidem explicitam duplicitate. I. Quando habet fidem non solum in habitu, sed etiam in actu credendi. II. quando credendo non solum stat in generalibus terminis, sed descendit ad specialia credit: puta, quod Deus est trinus & unus, quod Deus est incarnatus & sic de ceteris. Item fides innititur autoritati divinae revelanti credibilia, quibus omnibus assentit qualibet fidelis saltem in generali. Et aliqua horum sunt explicita majoribus in Ecclesiâ scientibus Sacram Scripturam: Non autem minoribus. Ideò minores innitentes autoritati Superiorum, ut Superiores sunt in Ecclesiâ: (qua& autoritas est verè divina secundum illud, Luc. X. qui vos audit, me audit) dicuntur habere fidem implicitam in fide eorum. Porrò Gabriel Biel anno 1490. hanc causam ibidem prolixissime persequitur Eandem, inquit, fides actualis est implicita & explicita diverso respectu: Nam assentiens huic proposito. Quicquid credit ecclesia est fides Catholica: Habet fidem explicitam hujus propositionis, & implicitè assentit omnibus veritatibus, que ex illâ deduci possunt, sicut huic: Evangelium continet catholicam veritatem, nam sequitur ex præmissa, vero coassumpto sic arguendo. Quicquid credit Ecclesia, continet Catholicam, veritatem! Evangelium credit Ecclesia. Ergo Evangelium continet catholicam veritatem. Coroll. 3. Habens fidem infusā, omnia credibilia credit implicitè, etiamsi actu nibil apprehendat. Hinc infantes baptizati nondum rationis usum habentes, omnia credenda implicitè credunt. Coroll. 4. Stat, aliquem implicitè credere veritatem & explicitè ei dissentire, imò ejus opposito consentire, patet: Posito, quod aliquis credat, sicut ecclesia credit: Hoc est, credat illam propositionem. Quicquid ecclesia credit, verum est, & dissentit huic: Abraham habuit plures uxores: & assentiat ejus opposito, credens ita sentire eccle-

*ecclesiam: ille implicitè credit illa: Abraham habuit duas uxores: quia sic credit Ecclesia & explicitè eandem credit.*

THES. XV. Talia passim occurrunt in scriptis Pontificiorum. Unde adhuc hodiè cōstans eorum doctrina est, *implicitam fidem esse*, quia quis credit, quod Ecclesia credit, quod ordinarius loci, aut parochus credit, quod superiores, majores, prædicatores, Doctores credere putantur, sive id intelligat credens, sive non, nec obstat etiam si contrarium explicitè teneat. Disputant enim illi, quod implicita fides consistere possit cum *purâ ignorantia crediti*, quin etiam cum errore circa idem objectum, nec non cum contradictione explicitâ ejus, quod implicitè credere dicitur, *uti prolixè ac egregiè ostendit Hülsemannus in dialysi problematis Calixtini*, quem omnino conferas velim. Audi saltem, quod Angelus de Clavasio num. 6. scribere non veretur, *imò plus dico, quod aliquando talis error in sublimitatibus fidei possit esse meritorius*. Utpote aliquis audit aliquem Prædicatorem famosum vel Episcopum prædicasse errorē, & simpliciter credit animo obedienti fidei, paratus tamen corrigi. Aliquād talis error est cum peccato veniali, utpote vetula credit Trinitatem unam esse fœminam, & quia credit Ecclesiam sic tenere, sic credit, si Ecclesia sic tenet, & credit Ecclesia sic tenere. Hæc ille. Et hæc Scholasticorum fides implicita est, quam numerus Calixtus fidelib⁹ V. T. porrò impingere velit, ipse viderit.

*Confusa  
cognitio  
num per-  
tineat ad  
Implicitā.*

THES. XVI. E quibus omnibus istud etiam facile patet, quod in implicita fide, ne *confusam* quidem notitiam requirant. Hanc enim referunt ad explicitam, cuius tres gradus faciunt, quod sint 1. cognitio *confusa*. 2. cognitio distincta. 3. magis distincta. *Quando tibi*, ait Ferdinandus à Castro Palao Tom. I. Op. moral. 4. disp. I. punct. 9. aliqua universalis ratio credenda proponitur; v. g. esse credendum quicquid à Deo est revelatum, tunc mysteria fidei in particulari

*cogno-*



cognoscis implicitè : explicitè autem agnoscis mysterium, quando illud in se ipso cognoscis : Et in hac cognitione dantur gradus. Alia est n. cognitio confusa, alia distincta, alia magis distincta. Sic & alij passim docent. Falsum itaque est, quod Calixtus in appendice num. 17. scribit : sive dicas generalem fidem, sive confusam, sive implicitam perinde est ; sicut è converso fides specialis, distincta & explicita æquipollent. Falsum, inquam, hoc est, non æquipollent prorsus.

THES. XVII. Adde, quod confusa & generalis notitia, non nunquam nimirum extendantur, ut de diversissimo, maximèque disparato intelligatur, ut de ijs Biel d.l. conclusione 3. scribit ; quod Dei filius incarnaretur, hoc explicitè, & particulariter credere non fuit necessarium pro omni statu. Potuit autem credi magis confusè & in genere, quod Deus ordinavit aliquam viam redemptionis, etiam ignorando per quem? an per verbum Dei, an per Angelum aut alium modum.

THES. XVIII. Hisce præmissis negamus omnino, quod doctrina redemptionis seu notitia Redemptoris in V. T. non nisi implicita fuerit, & contraria disertè asserimus, quod ea illic quoque explicitè revelata, proposita, cognita & credita fuerit, tūm ratione personæ Redemptoris, quæ est Deus & homo, tūm ratione actus redemptorij, officij & beneficij, quod suā morte redempturus sit genus humanum ab aeternā morte, per peccata protoplastorum introducta, & redditurus amissam vitam aeternam. Persona Redemptoris erat relevata & nota, quod sit semen mulieris contritum caput Serpentis infernalis Gen. III. v. 15. &c. quod sit semen Abrahæ Gen. XXII. v. 18. &c. filius Iudeæ Gen. XLIX. v. 10. Num. XXIV. v. 17. semen Davidis 2. Sam. VII. v. 12. & seqq. germen Davidis Esa. XI. v. 1. Jer. XXIII. v. 5. C. XXXIII. v. 15. sit filius illibata virginis Esa. VII. v. 14. Jer. XXXI. v. 22. Quæ vaticinia uti extra controversiam de Redemptore generis hu-

D

mani

mani loquuntur, sicq; in Ecclesiâ Dei semper intellecta  
fuere, ac populo Dei exposita; ita clare satis designant ejus  
personam, quod sit verus homo, non Angelus. Quæ propte-  
rea in V. T. explicitè revelata & cognita omnino fuit.

Nomen

גָּוֹן  
quid si-  
gnificet.

THEs. XVIII. Huc quoq; facit ipsum nomen, quo E-  
bræus dicitur גָּוֹן, quod propriè significat ejusmodi Re-  
demptorem seu vindicem, qui consanguineus est, & cui ob propin-  
quitatem sanguinis competit Redemptio seu vindicta, adeoque  
jure Propinquitatis redimat, vindicetq; consanguineum & Pro-  
pinquum suum. Sic n. Deus Israelis constituerat in Eccle-  
sia sua, præceperatq; ut proximq; Consanguineus בְּרִיב Pro-  
pinquus redimat possessionem seu terram fratris venditā.  
*Lev. XXV. 26. In universa terra Possessionis vestrae אֱלֹהֶיךָ redē-  
ptionem (sive legem Redemptionis) dabitis terra (ut non  
nisi sub conditione redemptionis vendatur.) Cum attenua-  
tus fuerit Frater tu⁹ & vēdiderit aliquid de possessione sua, tunc  
veniet Redemptor ejus גָּאֵל (propinquus ipsi) & redimet  
venditionem fratris sui: & si non fuerit viro גָּוֹן Redem-  
ptor, sed apprehenderit manum ejus, & invenerit, quod sufficit  
ad ejus Redemptionem, tunc restituet, quod superest viro, cui  
vendidit, & revertetur ad possessionem suam. Sic & Frater  
peregrino vēditus redimatur à proximo cōsanguineo. Ibi-  
dem. v. 48. 49. Postquam vendiderit se גָּאֵל, redemptio e-  
rit ei, unus redimet eum, aut Patruus ejus, aut filius Patrui e-  
jus, redimet eum, aut propinquus carnis ejus è familia ejus re-  
dimet eum. Præterea sancitur de Redemptore propinqui  
occisi, quod vindex sanguinis effusi sit propinquus. Num.  
XXXV. v. 19. 21. 24. Propinquus Sanguinis רְבַּע vindex  
sanguinis ipse interficiet homicidam v. 24. Congregatio judicabit  
inter propinquum sanguinis וּבֵין גָּאֵל הַדָּם vindicem san-  
guinis & percussorem v. 27. Si invenerit eum vindex san-  
guinis (גָּוֹן propinquus) extra terminum urbis refugij*

at q3

atq̄ occiderit ille vindex sive propinquus sanguinis homicidam,  
non erit obnoxius morti. Confer. Deut. XIX. v. 6. 12. Josua XX.  
v. 3. II. Sam. XIV. v. 11. ubi jus redemptionis Propinquus  
adscribitur, ut **גָּרָב** sit cognatus. Eodem sensu **גָּרָב** usur-  
patur Num. V. v. 8. Similiter dicitur Propinquus esse è vin-  
dicibus, quod ipsi competant vindiciæ, sive jus redimendi  
hæreditates, & semen suscitandi. Ruth. Cap. II. v. 20. Unde  
Naemi, uxor Elimelech, dicit de Boas; *Propinquus noster est*  
*vir ille מִנְאַלְנוּ רֹויֵן.* ex Redemtoribus i.e. vindicibus, qui ju-  
re propinquitatis redimere tenentur. Ut & ipsa Ruth ait ei-  
dem Boaz *Propinquus es גָּרָב אֶתְּנָהָרָב Cap. III. v. 9.* Cui re-  
spondet Boas ibidem v. 12. *Fateor verum esse, quod cognatus sum,*  
*est tamen alius קָרוֹב גָּרָב* vindex sive Cognatus propin-  
quior, si ille tibi jus cognationis præstare voluerit, benè est, pro-  
pinquus sit **גָּרָב יְגָדֵל** vindicet, si verò noluerit id tibi præstare,  
ego jus illud Cognitionis tibi præstabō, vivit Jehovah. Hinc  
Cap. IV. v. 4. 6. **גָּדֹעַ** propinquior ille redemptor pro-  
vocatur **לְגָדֹעַ** ad redimendum v. 5. quod cum recusa-  
set, & jus redemptionis tradidisset Boas v. 6. 8. statim hic  
tanquā Cognatus alienata bona Elimelech & Naemire dedit, &  
Rutham dicit in uxorem v. 3. 9. &c. Sed hæc de Nominе  
**גָּדֹעַ.** Quæ eum saltem in finem adducere placuit, ut  
propria & genuina ejus significatio, nec non vis nominis,  
Goel, magis magisq; perspiceretur.

THESS. XIX. Tria inde non obscurè patent. I. quod  
**גָּדֹעַ** in populo Dei propriè sic dictus fuerit *Consanguineus, seu propinquus sanguinis.* II. quod *certo pretio redeme-  
rit vendita & alienata, sicq; ea sibi vel proprio domino vē-  
dicaverit, & in libertatem asseruerit.* III. quod *desponsan-  
do propinqui viduam jus redemptionis sibi acquisiverit.* Quæ  
singula doctrinam de Redemptore Christo in V. Testamē-  
to propositam non parum illustrant, ut è dicendis ordine

constabit. Hic saltem illud inde notemus, quod *Messias*  
*Judæis sub vetere fœdere promissus è sanguine Judeorum fue-*  
*rat oriundus, indeq; in populo Dei & Ecclesia Israelis appelle-*  
*latus & celebratus fuerit.* נָא *Jobi XIX. v. 21. Esa. XLIII.*  
*v. 14. cap. XLVIII. v. 17. cap. XLIX. v. 26.* & sic porrò in aliis  
locis non paucis. Quocirca ignorare non poterat Messi-  
am הַמֶּלֶךְ *Redemptorem generis humani fore verum ho-*  
*minem, utpote qui homines Satanæ & peccati servos, velut*  
*propinquus, suo sanguine redimat, & sibi suoq; regno vendicet.*  
Et hæc quidem de humanitate Redéptoris clara adeò sunt,  
& in V. T. tam explicitè passim proposita, ut profanum &  
impium sit hic *de Angelo Creato* vel quicquam suspicari.

THEs. XX. Sed & porrò *actus Redemptionis seu officium*  
& *beneficium Redemptoris* in V. T. signanter exprimitur, &  
explicitè traditur, utpote *Esaie XIX. 10. Dominus mittet*  
*Salvatorem & Magistrum, qui Redimat eos וְהַצִּיל* *Re-*  
*déptor ille est Messias, Sanctus Israelis. Esa. XLIV. v. 22. &c.*  
*Cap. XLIX. v. 7. qui eruat affictos, & animas pauperū sal-*  
*vet, à dolo & ab iniuitate redimat animam eorum. Psal.*  
*LXXII. v. 13. 14. Qui potens est redimere à morte. Ps. LXIX.*  
*v. 21. ex omnibus peccatis. Ps. CXXX. v. 8. è potestate in-*  
*ferorum, & à morte. Oseae XIII. ex inferno. Zach. IX. v. 11.*  
Hæc est illa redemptio, de qua Dominus ipse ait. *Esaie.*  
*XLIV. v. 21. 22. memento horum Jacob & Israel, quoniam servus*  
*meus es tu, formavi te, servus meus es tu Israel, ne obliviscaris*  
*mei, delevi ut nubem, prævaricationes tuas, & veluti nubem*  
*peccata tua: revertere ad me, quia redemi te.* Celebrati-  
ssima vero erat doctrina Redemptionis in populo Dei,  
quam in suis sacris Concionibus, in cultu divino & sacri-  
fiциis frequenter recolebant. Cujus Symbola, typi, & mo-  
numenta erant Redemitio Judæorum ex Aegypto. *Deut. 7. v.*  
*8. 9. cap. 9. v. 5. 26. 27. II. Sam. VII. v. 23. 24. Quæ proprie-.*  
Israe-

Israelitis serio & variè inculcanda erat. *Exod. XIII. v. 13. 14.*  
Redemitio Servorum Judæorum. *Exod. XXI. v. 2. Lev. XXV.*  
*v. 39. 42.* Redemptio hæreditatis, & institutio Annorum,  
Jubilæorum. *Lev. XXV. v. 10. 11. 12. 13. seqq.* Redemitio ex ca-  
ptivitate Babylonica. *Esa. XLIII. v. 14. Et c. Jer. XXXI. v. 10. 11.*  
*12. 13. Et c.* Quam Redemptionem propterea Israelitæ ma-  
gno desiderio exspectabant. *Ps. XIV. v. 7. Ps. LIII. v. 7. Luc.*  
*II. v. 25. 38.* Quam jam jam præsentem Sacerdos Zacha-  
rias in Messiæ missione agnoscit, depraedicatq;. *Luc. I. v.*  
*68.* Quæ omnia clara & nota adeò sunt, ut dubium nul-  
lum habeant.

THEs. XXI. Cæterum de divinitate Redemptoris & mo- Secundū  
do Redemptionis non exigua videtur esse difficultas, quam ut Disputati-  
ordine lusremus atq; expeditiorem reddamus, ad secundum  
disputationis membrum properamus, quod erat: Num. brum.  
Redemptor generis humani debuerit esse verus Deus, & num  
iste sub antiquo fædere explicitè sic revelatus & cognitus fuerit. Utrumq; asserimus. Et primum quidem non obscure  
colligitur ex operibus Redemptionis seu effectis Redemptoris,  
quæ à nullâ finitâ virtute neq; Angelica, neq; hu-  
manâ, præstari possunt. Infinita & verè divina potentia  
hic requiritur, sine qua Redemptio generis humani nec fi-  
eri nec credi potest, ut B. Luth: in commentar. super Epistolā  
ad Gal. egregie ostendit, cum primis ex Classico illo dicto  
*Col. II. v. 13. 14. 15.* quod Christus nos convivificaverit, condo-  
nans nobis omnia peccata, delens, quod adversus nos erat, chi-  
rographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit  
de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & pote-  
states, traduxit confidenter palam triumphans illos in semeti-  
pso. Notat illa verba Θεαμβεύσας ἀντός τοι αὐτῷ. Hæc, in-  
quit, circumstantia in semetipso facit duellum istud mirabili-  
us & illustrius. Ostendit n. tantas res (scilicet ut maledictio,

peccatum, mors destruantur, & in locum illorum benedictio, justitia, vita succedunt) debere geri in unica illa persona Christi, atq; ita per eam mutari totam creaturam. Ideo si hanc personam aspiceris, vides peccatum, mortem, iram Dei, inferos, Diabolum & omnia mala victa & mortificata. Et hic vides, quām necessarium sit credere & confiteri articulum de divinitate Christi. Quem ubi Arrius negavit, necesse fuit etiam negare cum Articulum Redemptionis. Vincere enim peccata mundi, mortem, maledictionem & iram Dei in semetipso, non est ullius Creaturae, sed divinæ potentiae opus. Igitur necesse est illum, qui in seipso ista vicit, verè & natura Deum esse. Opportet enim isti summa potentia (peccato, morti, maledictioni) quæ per se regnat in mundo, & in tota creatura, opponi etiam potentiam superiorem, quæ nulla potest inveniri aut esse, nisi divina &c. Quia v. Scriptura tribuit Christo ista omnia, ideo ipse est vita, justitiae & benedictio, quæ naturaliter & substantia liter Deus. Quare negantes divinitatem Christi amittunt tandem totum Christianismum, sunt prorsus Gentiles ac Turcae. Hæc B. Lutherus verè, piè ac graviter monet.

THEs. XXII. Quæ ut verissima sunt, ita religiosissimè cavendum est, ne doctrina de Christi divinitate in operib; Redemptionis ullo modo labefactetur. Etenim illic vel in minimis errare periculosisimum sanè est, atq; perniciosissimum. Uti vel ex illo crassissimo Calvinistarum errore non obscurè percipitur, quando illi valorem satisfactiōis Christi ita imminuunt, elevantq; ut eum juxta favorem Dei saltem acceptilatum & estimatum statuant, non juxta rigidæ justitiae Dei regulam, uti Calvinus quidem eam in rem scribit lib. 2. Institutionum Christian. Relig. cap. 17. nura. 1. E quidem fateor, inquit, Si quis simpliciter & per se Christum, opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reprietur in homine dignitas, quæ possit Deum promerer. Sed de profa-

profano isto Calvinistarum delirio alias dicendi locus erit.  
Hic saltem velim aures arrigant Novatores isti hodierni,  
qui disputant, *notitiam de divinitate Redemptoris non esse o-*  
*mni tempore necessariam, & supervacaneum esse ea super re di-*  
*gladiari.* Quinimo necessaria adeò est istius fidei explicita  
notitia, ut pueri quoq; in Catechismo sic informari debe-  
ant, ut è quæstion. Catechet. respondeant: *Wir sollen ler-*  
*nen / daß keine Creatur hat können gnug thun für*  
*unsere Sünde / denn Christus Wahrer GOTT und*  
*Mensch.*

THEs. XXIII. Hinc porrò & alterum facile intelligi-  
tur, quod nempe *divinitas Mediatoris in V. T. explicitè reve-*  
*lata & cognita fuerit:* Hæc enim ex operibus Redemtor. su-  
pra citatis, non poterat non constare: & manifestis insuper  
V. Testamenti oraculis edocetur passim, nec non explicitè  
asseritur. Sic enim *Jehova Deus ait. Osee. XIII. v. 4. 5. 14. E-*  
*go sum Jehova Deus, & de potestate inferorum redimam*  
*eos, à morte redimam eos, ero mors tua ô mors, ero mor-*  
*sus tuus inferne: Jehovah Deus est, qui absorbet mortem in*  
*victoriam. Esa. XXV. 8. Is ipse est vindex & Salvator. Esa.*  
*XXXV. v. 4. Redemptor noster, Sanctus Israelis Esa. XLIII.*  
*v. 14. cap. XLIV. v. 5. Robustus in Jacob, Salvator & Redem-*  
*ptor Jehovah est Esa. XLIX. v. 25. 26. Cap. LX. v. 16. &c. Quæ*  
*vaticinia omnia ut de Christo disertè loquuntur, sic illis*  
*explicitè asseritur Redemptorem Generis humani esse verum*  
*Deum. Quo nomine eum colit & celebrat ecclesia Israeliti-*ca. Psalm. LXIX. v. 20. 21. benedictus Dominus, qui quotidie**  
*nos onerat, & Deus salus nostra est. Deus nobis est Deus in salu-*  
*tem, & Jehovah Domino sunt exitus ad mortem. Itemq; Esa.*  
*LXIII. v. 1. Christus celebratur magister ad salvandum, qui*  
*corcular calcavit solus in die ultioris, & anno redemptorum sue-*  
*rum.*

THEs.

THESS. XXIII. Quocirca tantum abest, ut fideles V.T. ignorarint Redemptorem Generis humani fore verum Deum, ut potius ejus divinitatem explicitè cognoverint. Falsum itaq; est, quod non nisi Implicitam Redēctionis notitiam habuerint. Falsum, quod ex operibus salutis à Messia præstandis non potuerint inferre, eum esse verum Deum. Et quid? si hoc ignorassent, nec in eum credere, nec fiduciam consequendæ salutis in eo ponere, nec ab eo vitam æternam sperare potuissent. *Jer. XVII. v.5.* Absit, ut hoc statuamus. Sic enim nec salvari potuissent, cum sine fide in Christū nemo Salvetur unquam. Verè scribit Sanctus Hilarius lib. IX. de Trinitate pag. 116. Nescit planè vitam suam, nescit qui Jesum Christum, ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat, & ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. Et paulò post: Hæc hæc humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, verbum & carnem confiteri: neq; Deum nescire, quod homo sit, neq; carnem ignorare, quod verbum sit.

THESS. XXIV. Sed abrumpenda hæc tela est, cum chartarum angustia plura non capiat. De reliquis in seqq. disput. &c agemus. Unum addo & concludo:

Qui fide salvificâ crediderunt in Christum, & fiduciam salutis consequendæ in eo collocarunt, illi eum ceu verum Deum cognoverunt. Objectum enim fidei non nisi solus Deus est.

At qui fideles V.T. fide salvifica in Christum crediderunt & fiduciam salutis consequendæ in eo collocarunt. εὐδαλον.

Ergo fideles V.T. Christum, ceu verum Deum, cognoverunt. Tantum est, quod hac vice adversariis nostris opponere voluimus. Horum furori, ait S. Hilarius lib. 1. de Trin. pag. 6. Edit. Basiliens. Anno 1570. respondere animus exarsit: recolens hoc vel præcipue sibi salutare esse, non solum in Deum credidisse, sed etiam in Deum Patrem: neq; in Christo tantum sperasse, sed in Christo Dei filio: neq; in creatura, sed in Deo creatore ex Deo nato.


Soli Redemptori, Christo, Vero Deo, Gloria in secula seculorum. Amē.

05 A 441

**ULB Halle**

004 208 900

3



DM



**Farbkarte #13**



IN NOMINE JESU.  
DISSERTATIO SACRA  
*De*  
**REDEMPTORE**  
**GENERIS HUMANI, CHRI-**  
**STO JESU, EJUSQUE OFFICIO, SA-**  
**TISFACTIONE, AC MERITO.**  
*Quam*  
Christo Redemptore docente,  
*In*,  
Florentissima Wittebergensi Academia,  
*SUB PRÆSIDIO*  
*V I R I*  
**DN.JOHANNIS SCHARFII,**  
SS.Theolog Doctoris, ejusdemq; Professoris Ordina-  
rij, celeberrimiq;, nec non alumnorum Elect. Ephori &c.  
DN. Præceptoris, Promotoris, ac Patroni omni honoris ac  
debitæ observantiæ cultu ætatem prosequendi,  
*Publico modestoq; Eruditorum submittit*  
*Examini*  
**M. JOHANNES TECLENBURG,**  
BUTZFLEDA-Stadensis.  
*In majori Theologorum Auditorio,*  
Ad diem 18. Aprilis horis matutinis.  
*[+]*  
**WITTEBERGÆ,**  
**TRPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.**